



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Feria tertia Paschalis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

quid Pascha? minimè; quia adhuc pendet Christus de Cruce.

*Instructio meritoria.*

Fortè diabolus tentabit, paschalia turbare gaudia? resistamus fortiter in fide, recitandò Psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Tessera sit nobis diurna: *Gaudebo in Domino!* iterum dico: *Gaudebo.* Averfantur hæc gaudia inferi.

Feria III. Paschalis.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uanta, ô fili! erga incredulum Thomam Dei clementia? *Affer (jubet) manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis.* Non obliviscar tui, quia in manibus meis descripsi te. En! perpetuam nobis promisit Christus nostrum memoriam. Et hæc respectu illius tam rara in nobis! ô confusio! ô ingratitude!

*Instructio meritoria.*

Cuilibet sacramentali communioni posthac speciale jungamus propositum, quò nostram contestabimur in Deum



fidelitatem ; hodie à temperantia incipiamus , pro qua obtinenda ter spiritualmente communicabimus cum adjunctis temperantiæ actibus, & Psalmo : *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum.* Gustate ; quia suavis est Dominus.

## II.

**E**go sum, ait Jesus stans in medio discipulorum quasi diceret : Ego solus, & non alius mecum, sustinui, passus, & crucifixus sum pro vestra salute : *Pax vobis ! en ! fili !* nostris oportet meritâ consequi effectum Passionis Dominicæ ; nam diligentibus, & quærentibus Deum omnia cooperantur in bonum ; pigris verò & negligentibus in peccatum. Tu quis es ?

*Instructio meritoria.*

A manè, & nocte excutiamus generosè torporem, & pro augendo fervore in Divinis obsequiis, & augendis meritâ oremus Officium de Dulcissimo Nomine Jesu. Jesus ignis est : Accede, & inflammabere !

## III. Ve-



## III.

**V**enit clausis januis ad discipulos  
Christus. Et o quantus oritur  
metus. Dispellit Christus dicens : *Ego  
sum ; nolite timere.* Timendus non est  
Deus, sed diligendus. Quod timen-  
dum, solum peccatum est. Hoc si ti-  
meamus, nunquam habemus, cur Deum  
timeamus? fili! qualis hæc doctrina?

*Instructio meritoria.*

Saluberima. Exequamur, & ut Deus  
in conversatione nostros custodiat sen-  
sus, post mensam coram Sanctissimo  
Venerabili I. O. *Pater & Ave* recitemus  
cum desiderio : *Anima Christi Sanctifi-  
cane &c.* Sic socius erit inter pericula  
Jesus.

## Dominica in Albis.

## EXHORTATIUNCULA I.

**M**oriamur tandem sæculo, ut eò  
perfectiùs vivamus Christo tan-  
quam filii novogeniti. Sed quæritur :  
Quomodo? dico: Puritate, & candore  
mentis ac conscientiae. Ita hodierna  
monet Dominica in Albis. Fili! o si  
mundi fieremus toti!

*In-*